

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 8671

**Auteur(s)** : Jean Ier, Alençon (comte)

**Bénéficiaire(s)** : Neufchâtel-en-Saosnois, Notre-Dame de Perseigne (abbaye)

**Genre d'acte** : charte

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : [1180-1191, 24 février]

**Action juridique** : confirmation

**Langue du texte** : latin

## Analyse

AUTRE CHARTRE DU MESME JEAN COMTE D'ALENÇON, ETC. — Jean, après avoir, dans la charte précédente, reconnu nominativement les possessions territoriales de l'abbaye, énumère dans cette seconde charte de confirmation tous les droits et les privilèges que l'abbaye a obtenus pendant la vie de Guillaume III. Il ajoute pour sa part la jouissance d'une garenne.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Fleury Gabriel, *Cartulaire de l'Abbaye cistercienne de Perseigne*, Mamers, Fleury et Dangin, 1880, n° V, p. 13-15.

## Dissertation critique

Jean Ier succède au comte d'Alençon à son père Guillaume III Talvas (mort le 29 ou 30 juin 1171) et meurt le 24 février 1191. Adam, abbé de Perseigne, vers 1180-1221.

Texte d'après a

Omnibus ad quos presens charta pervenerit, Johannes comes Alençonis, filius Willermi Pontivorum comitis, salutem. Sciatis nos dedisse et concessisse Deo et Beate Marie de Perseignia et monachis ibidem Deo servientibus et servituris, pro anime nostre predecessorumque atque successorum nostrorum salute, in puram, liberam et perpetuam eleemosynam omnes et singulas res, possessiones, homines, usagia et libertates, a viro bone memorie predicto comite genitore nostro, sive ab aliis Christi fidelibus, illis datas et concessas cum omni jure, jurisdictione et districtu ac etiam justicia plenaria, alta et bassa, nichil nobis aut heredibus nostris, in predictis, nisi preces et orationes dictorum monachorum solummodo retinentes. Et omnia et singula, quæ futuris temporibus Deo propitiante acquirere poterunt in feodis, retrofeodis nostris et in omni potestate nostra cum omni jure, jurisdictione, fide, homagio, releveio, auxilio et districtu et omnibus aliis servitiis sive exactionibus secularibus nobis et successoribus nostris inde debitis, prefatis monachis et successoribus suis concedimus possidenda. Volumus etiam et concedimus quod dicti monachi et successores sui possint nemora sua dare et vendere propter necessitates domus sue non obstantibus aliquibus venditionibus, in nemoribus et forestis nostris, in posterum faciendis. Et sepes et clausuras circa et intra dicta nemora sua facere in quibus poterunt ipsi et eorum mandato animalia magna et parva capere et garennam suam, tam die quam nocte, in dictis nemoribus et omnibus aliis locis suis quum voluerint exercere et sibi viderint expedire. Volumus insuper et concedimus quod omnia predicta cum pertinentiis suis, usagiis, privilegiis, et omnibus aliis rebus suis honorifice, libere, quiete et integre conserventur in puram et perpetuam eleemosynam absque hoc quod nos vel successores nostri aut eorum mandato possimus ipsos monachos

vel successores suos in aliquo premissorum impedire vel etiam contraire nec in dictis rebus justitiam aliquam exercere et si acciderit per aliquod pravum consilium quod exerceamus aliquam justitiam vel aliud super premissis faciamus, volumus quod nullum prejudicium dictis monachis vel successoribus suis faciat, nec eisdem noceat in futurum, nec nobis aut successoribus nostris proficiat illa exercitatio jurisdictionis, in jure vel consuetudine, possessione vel proprietate, quin ipsi vel ipsorum causam aut mandata habentes et habituri possint uti omnibus et singulis in presenti charta et in aliis chartis et privilegiis contentis et expressis prout sibi viderint expedire. Et si heredes nostri aut eorum servientes et alocati ea que in presenti charta vel in aliis privilegiis et chartis suis contenta sunt et expressa, prefatis monachis et successoribus suis vel eorum mandato observare et adimplere defecerint vel quod absit noluerint, volumus quod per superiores nostros secundum tenorem presentium impleatur. Et qui super dictis articulis vel aliis culpabiles inventi fuerint volumus et precipimus quod dictis superioribus nostris et prefatis monachis eorumque successoribus emendare plenarie compellantur. Quod ut firmum et stabile permaneat et in futurum perseveret prefatis monachis presentem chartam sigillo nostro dedimus sigillatam. Hujus autem rei testes sunt Johannes filius meus Robertus filius meus, Willermus filius meus, Adam abbas Perseignie confessor noster, Odo de Clincampo, Robertus de Lineriis, Gaulterius de Nulleio, Robertus de Brieriis, H.... de Sancto Petro, Helinandus de Conge, Teillan. de Mol., Alardus de Corcis, Willermus de Menone cellerarius, Altus de Portis, Gondonius subprior et multi alii. Actum quarto nonas aprilis luna duodecima in cenobio Sancte Marie Perseignie. Benedictus Deus in donis suis. Amen.